



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-/berstattensis, De Varietate//  
librorum, siue de Amore cœlestis// patriæ libri. III. ...**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 231**

XXVI Quod illud est perfectu[m] leiuniu[m], q[uo]d cu[m] oratione &  
misericordia commedatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29814**

## LIBER SECUNDVS.

enim bene abstinet cibis qui & à malitia actibus, &  
à mundi iejunat ambitionibus. Vnde & Cassianus Cassi.  
ita inter cætera definiens: Nec solum nobis istud ie-  
junium visibilium ciborum ad perfectionē cordis,  
& corporis puritatem sufficere posse credamus, nisi  
fuerit huic animæ quoq; iejunium copulatū. Habet  
namq; & illa suos noxios cibos quibus impugnata  
etiam fine escarū abundantia ad luxuriæ prærupta  
deuoluitur. Detractio, cibus est eius & quidem per-  
suauis. Ira etiam cibus est eius, licet minime lenis, ad  
horam tamen infelici esu pascens ac pariter lœtali sa-  
pore prosternens. Inuidia cibus est mentis, & vana  
gloria cibus est eius. Omnisq; concupiscentia & per-  
uagatio cordis instabilis, pastus quidā est animę no-  
xijs escis eam nutriens. Si em̄ corporaliter ieunātes  
pernitiosissimis animę vitijs implicemur, nihil nob̄  
proderit carnalis afflictio preciosiore parte pollut̄.  
Oportet ergo exteriorem hominē ieunantē, interi-  
orē quoq; similiter cibis noxijs temperare.

Quod illud est perfectum iejunū, quod  
cum oratione & misericordia cōmendatur.

Caput XXVI.

**N**ecessaria animæ nostræ sunt ieunia, sicut  
vulneribus medicina. Medelam enim conf- Aug.  
runt vitæ perpetuæ, ita tamē vt duarum re-  
rum testimonio cōmendētur, id est, oratione & mi-  
sericordia. Quod per solum iejunium prodesse non  
posse facundissimus doctor Cassianus in vicefima  
d v

## HAY. DE VARIET. LIB

prima collatione propheticis demonstrat testimonijs, ita. Quorundā inquit p Prophetā dñs ieuniū detestatur, ex quorum persona cum sibi obijciēs ante dixisset: Quare ieunauimus & non aspexit: humiliauimus animas nostras & nescisti: cōfestim sub ijciens prodidit causas cur non mererentur audiri: Ecce inquit in dieb<sup>9</sup> ieuniū vestri inuenitur volūtas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & cōtentiones ieunatis, & percutitis pugno im pie. Nolite ieunare sicut vscq; in hanc diem, ut audiatur in excelsō clamor vester. Nunquid tale est ieuniū quod elegi, per diē affligere hominem animā suam? Nunquid cōtorquere quasi circulum caput surum & saccū & cinerē sternere? Nunquid istud vocabis ieuniū & diē acceptabilem domino? Deinde infert dicens: quomodo acceptabilis fiat continētia iejunantis, atq; euidēter enunciat per se solum ieuniū prodesse non posse, nisi has quæ subijciuntur causas habuerit cōsequentes. Nonne hoc est inquit, ieuniū quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimētes. Dimitte eos qui cōfracti sunt liberos & omne onus disrumpe. Frange esuriēti panem tuum, & legenos vagosq; induc in domū tuam. Cum videris nudum opperi eum, & carnē tuam ne despexeris. Tunc erumperet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciē tuam iustitia tua & gloria dñi colliget te. Tunc inuocabis & dominus exaudiet, clamabis & dicet, ecce adsum. Videret ergo ieunium nequaquam principale bonū à domino iudicari, eo quod non per ipsum sed per

## LIBER SECUNDVS.

alia opera bonum ac deo beneplacitum fiat. Et rursum ex acceditibus causis non solum vanum, verū etiam odibile cēsetur, dicente domino: Cum ieiuna Hier. 14. uerint non exaudiam preces eorū. Illud ergo ieuni- Greg. um deus approbat, quod ad eius oculos, manus eleemosynarē leuat. Quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate cōditur. Hoc ergo qd tibi subtrahis alteri largire, vt vnde tua caro affligitur, inde egēt proximi caro reparetur. Hinc etenim per Prophētam dominus dicit: Cum ieiunaretis & plangeretis, Zac. 7. nunquid ieiuniū ieiunastis mihi? Et cum comeditis & bibitis, nunquid non vobis comeditis & vobis metipsis bibitis? Sibi em̄ comedit & bibit, qui alimenta corporis, quae sunt cōmunia bona cōditoris, sine indigētibus percipit. Et sibi quisq; ieiunat, si ea quae ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed vētri postmodum offerēda custodit. Hinc per prophētam Iohel, Iohel. 14. Sanctificate ieiuniū. Ieiunium qd pe sanctificare est adiunctis bonis alijs, dignam deo abstinentiam carnis ostendere.

## De Eleemosyna. Caput XXVII.

**Q**ui enim vult ordinate dare eleemosynam, à seipso debet incipere & eam sibi primum dare. Aug. Est enim eleemosyna opus misericordie, vereissimeq; dictum est: Miserere animæ tuæ placēs deo. Propter hoc renascimur ut deo placeamus, cui meritorio displiceret, quod nascēdo contraximus. Hæc est prima eleemosyna quam nobis debemus.